

Regul. in Tiburtina 20 Julii 1580. in Fanensi 18 Aprilis 1600. in Vicent. 14 Maii 1616. et in Bononiensi 8 Octobr. 1649.

(17. Grave indicium diabolicæ vexationis est, quando ex fide jurata Medicorum constat, nulla adhibita medicamenta profuisse; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Parmensi 10 Novembris 1645. Delrius autem lib. 3. *Disquisit magic.* cap. 2 sect. 2. quæst. 3. Monacell. t. 3. tit. 1. formul. 47. num. 4 et 5. plura referunt hujusmodi signa. Præcipua tamen sunt hæc: si obsessus loquatur variis linguis, quas nunquam didicit; si horreat omnia Sacra, si præcipitiis se exponat, si statim intumescat in aliqua parte corporis, et statim detumescat, si tacite interrogatus respondeat, aut tacito imperio pareat; si Epilepsia laboret; si antea scientia ignarus, se perfecte scientificum ostendat, si ita immobilis maneat, ut plurimorum hominum viribus nequeat dimoveri, si sacra verba proferre renuat, qualia sunt *Miserere mei, Deus. Qui habitat in adjutorio Altissimi. Magnificat anima mea Dominum. In principio erat Verbum*, et similia; si a facie Sacerdotum, et præcipue Exorcistarum fugiat, in Ecclesiam ingredi nolit, et si ingrediatur, ab ea statim fugere procuret, cuncta benedicta, Sanctorumque imagines, et maxime Crucifixi nolit inspicere nec deosculari, immo projiciat, et in hæc omnia conspuat, si clamet, cum aliqua Reliquiæ Sanctorum superponuntur ejus capiti, etiam occulte, et statim dicat, auferte istas a me, quoniam fætent, vel sunt nimis graves, et hujusmodi. Ad hæc autem signa integra dignoscenda consule supradictos una cum Candido Brugnolo, aliisque hujusmodi scriptoribus (1).

(18. Exorcismi in Sacris Ecclesiæ libris non relati, non debent admitti. Benedictus XIV. tom. 1. Constit. 89. incip. *Inter omni-genas* § 8. (19. Exorcizandi ratio in Rituali Romano præscripta exacte observari jubetur. Idem Const. 141. incip. *Sollicitudini* § 57.

(20. Regularibus non licet, contradicente Episcopo, exorcizare, etiam in propriis Ecclesiis, et Cœnobiis. Vide tomo 5. verb. *Oratorium* et Constitutionem Benedicti XIV. incip. *Magno*, § 34.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(21. Primis Ecclesiæ sæculis non solum

EXPOSITI FILII.

SUMMARIUM

1. De expositorum baptismate. — 2. Alia remissive.

(1. Proposito dubio in Sacra Congreg. Concilii die 18 Decembris 1723. quomodo se ge-

(1) Non prætereunda silentio hic est magna illa controversia, quæ late Germaniam in varias sententias non multos ante annos distraxit, ob Exorcismorum ad plurimos depellendos morbos usum a Joanne Josepbo Gassnero pientissimo Parocho feliciter adhibitum. Hinc et illinc permulti disseminati libelli fuerunt, quorum alii Gassneri curationes imposturæ condemnabant, alii harum veritatem confirmabant. Inter illos principem locum meretur Antonii de Haen Archiatri, ac Medicinæ in Viennensi Academia Profes-

Clerici, verum et Laici donum ejiciendi Dæmones habuere, et sic Exorcistarum officium usurparunt. (22. Testatur Tertullianus *Coron. Milit.* cap. 11. ejectos a Militibus fuisse spiritus immundos: « Et quos (ait) interdiu exorcismis fugavit, noctibus defensavit. » (23. Et lib. *de Idololatr.* cap. 11. tradit, Parentes solitos exorcizare proprios filios: « Quare (inquit) Constantia exorcizavit Alumnos suos, quibus domum suam, et cellariam præstat? Ille quidem si excluserit Dæmonem, non sibi placeat de fide, nec ejus inimicum exclusit. » Notarunt Baron. anno 56. Justellus in notis ad Canon 91. *Eccles. univers.*

(24. Postea peculiare ac distinctum munus in Ecclesia fuit eorum qui in gradum Exorcistarum cooptati erant, ut docent plura de Exorcistis affirmantes Balsamon in Can. 26. Synod. Laodicen. Ambian. ad Tertullian. in Apolog. cap. 23. ad finem; Pamel. ad Epistol. 26. D. Cyprian. Espenc. ad D. Paulum lib. 1. Disgress. cap. 9. Lindebrog. Verb. *Exorcista*, qui de his Exorcistis accipiunt Textum in l. 1. § *Medicos, de Var. et Extraordin. Cognit.*

(25. Per id vero temporis ad Exorcistatum non ordinabantur nisi provecioris ætatis: « Exorcistæ (opportune ait Hallier *de Sacris Elect. et Ordinar.* part. 3. sect. 7. cap. 1.) nequaquam Ecclesiæ utiles esse poterant, aut officio suo idonei, nisi provecioris ætatis. Neque enim Pueri vel Adolescentes idonei, videbantur, qui Dæmones adjurarent, Energumenos custodirent, alerent, eisque manus imponerent. Unde recte et convenienter Syricius eos, qui ab adolescentia Clericali adscriberentur, in Lectoris gradu atque Officio; qui in ætate jam matura, in Lectoris aut Exorcistæ ordine aut munere versatos esse præcipit, antequam ad superiores ascendant. Juxta eandem personarum diversitatem eosdem gradus Lectoris quidem in iis, qui ab ineunte ætate Clericali militiæ adscripti essent, Lectoris autem, vel Exorcistæ iis, qui grandiores facti hanc vitam seligerent, attribuit Zosimus. »

(26. Mutata hac disciplina, et commisso, ut plurimum, munere Exorcistæ Sacerdotibus, non amplius ad Exorcistatum ætas provecior requisita est.

rere debeat Parochus Sancti Spiritus in Saxia in collatione Baptismatis infantibus,

soris *Dissertatio Theologico-physica de miraculis*, c. 5, hos vero inter exstat Anonymi excusa Augustæ Vindelicorum a. 1775. *Demonstratio de conformitate cum principiis Evangelicis, et sensu, et praxi Ecclesiæ in methodo medendi affectos vario morborum genere, quam adhibet Jo. Josephus Gassnerus*. Ad hanc ipsam controversiam spectant brevia quedam opuscula, quæ in Parisiensi Dinovartii Diario Ecclesiastico leguntur tom. 59, 60, 61, 62 et 63. (EDIT. BARBIELL.)

qui ad Archihospitale deferuntur, sive iidem habeant schedulam de Baptismo testantem, sive non habeant; et etiamsi ex colore, et cæteris corporis qualitatibus deprehendatur etiam esse constitutos in ætate sex aut decem mensium, vel unius anni cum dimidio;

EXPOSITIO SS. SACRAMENTI.

SUMMARIUM

1. Quando Expositio SS. Sacramenti permitti non debet. — 2. ad 4. Alia pauca. Remissive.

(1. Expositio SS. Sacramenti permitti non debet nisi ex publica causa ab Ordinario approbata, etiamsi Ecclesia sit Regularium, quod ex Tridentino sess. 21. cap. 8. evincit, et statuit S. Congregatio Concilii. Quamquam ex causa privata licet Regularibus in propriis Ecclesiis exponere Sacramentum, dummodo non extrahatur e tabernaculo, et Hostia sit velata, ut ex pluribus S. Congregationis Decretis firmatur *Instit. Eccles.* 30. § 11 et 12.

EXTRACTIO.

SUMMARIUM.

1. ad 5. De extractione Rei a loco immuni. — 6. ad 12. Extractio rerum mobilium extra statum Ecclesiasticum.

(1. Extractio Rei inquisiti, vel damnati a loco immuni in casibus permissis, si Clericus sit, fieri potest a Curia Episcopali ex officio; et si laicus, non nisi ad instantiam Curie sæcularis; Benedictus XIV. Constitut. 8. incip. *Alias* § 5 (2. Ad extractionem inquisiti a loco immuni, in dictis casibus procedi potest, habitis indicibus delicti sufficientibus ad Torturam. Idem *ibid.* (3. Ad extractionem vero banniti, seu damnati in contumaciam in similibus casibus, visa sententia contumacialis et actis, quibus illa fundatur. Idem *ibid.* § 6. (4. Extractionis, et traditionis denegatio, aliaque decreta Judicis Ecclesiastici super ejus competentia, allegari nequeunt in judicio super executione sententiæ contumacialis. Idem *ibid.*

(5. De extractione Reorum ad Sacræ Inquisitionis Officium spectantium a locis immuniibus, vide tom. 4. verb. *Immunitas*; ubi ad rem duæ afferuntur Constitutiones Benedicti XIV.

(6. Extractio segetum, farinæ, et olei extra statum Ecclesiasticum sine speciali Chirographo Papæ prohibetur sub gravissimis

*Sacra Congregatio die 15 Januarii 1724, respondit, esse baptizandos sub conditione in omnibus casibus, excepto tamen casu schedulæ, quæ habeat certitudinem.*

(2. Alia ad rem, vide verb. *Filius* a num. 17. ad 20. et verb. *Parentes* a num. 20 ad 32,

(2. Reprobatur apud frequentes Scriptores usus exponendi palam SS. Eucharistiam in festis Sanctorum. *ibid.* § 13.

(3. Si exponatur SS. Sacramentum intra tabernaculum apertum et in pyxide tecta, sex saltem candelæ ardere debent, ex sensu Sac. Congreg. *ibid.* § 21.

(4. Verum si extra tabernaculum id fiat in Ostensorio velato, tunc saltem duodecim candelæ ardentes apponendæ. *Ibid.* § 23 (1).

pœnis, sublata cuilibet facultate concedendi licentias extrahendi. Idem tom. 2 Constitut. 83. incip. *Quo die.*

(7. Quo vero ad alias res mobiles, aut se moventes, remittitur arbitrio Legatorum, Præsidium, et Gubernatorum Provinciarum. Idem *ibid.*

(8. Extractio segetum, aliarumque per aquam, etiamsi directa dicantur ad alia loca ditionis Ecclesiasticæ, nisi fiat cum præscriptis cautelis, reputanda erit pro extractione a Statu, et præscriptis pœnis puniendæ.

(9. Idem *ibid.* Extractio cujuscumque rei de Provincia ad Provinciam quocumque tempore, atque etiam extra statum Ecclesiasticum, permittitur pauperibus, qui spicas a Messoribus relictas colligunt. Idem *ibid.*

(10. Item Mercenariis, quibus pro mercede datur frumentum, vel quid simile. Idem *ibid.* (11. Item Mendicantibus, qui elemosynæ loco, et pro victu Cœnobiis ea colligunt. Idem *ibid.* (12. Ac denique iis, qui pro eduliis ad fora delatis, et loco pretii recipiunt. Idem *ibid.*

EXTREMA UNCTIO

SUMMARIUM

1. Variæ in Ecclesia Dei habentur in praxi Uctiones, prout diriguntur ad varias personas. — 2. Datur definitio Sacramenti Extremæ Uctionis. — 3. Est de fide certum Extremam Uctionem esse verum, et proprie dictum Sacramentum novæ Legis a Christo Domino institutum. — 4. Hoc Sacramentum probabilius fuit institutum post Resurrectionem. — 5. Materia remota Extremæ Uctionis est Oleum Olivarum ab Episcopo benedictum, proxima autem

(1) Vide supra v. *Eucharistia* art. 1. num. 57. ad 64. item 78 et 79. Exstant quoque Joan. Baptistæ Thiers libri quinque Gallico Sermones conscripti, ac

est ipsamet unctio facta hoc oleo. — 6. Oleum hoc debet secundum communioem sententiam esse necessario benedictum ab Episcopo necessitate Sacramenti, ita ut adhibito oleo non benedicto ab Episcopo nullum fiat Sacramentum. — 7. Secundum autem alios gravissimos Doctores potest hoc oleum ex commissione Papæ benedicti a simplici Sacerdote pro valido, et licito usu hujus Sacramenti. — 8. Afferunt alia ratio pro hac opinione. — 9. Oleo benedicto in casu necessitatis ob infirmorum copiam potest valide, et licite sæpius addi oleum non benedictum, dum-

duobus tomulis in-12. a n. 1677. comprehensi *De l'exposition du S. Sacrement de l'Autel*, quos non inutile erit consulere (EDIT. BARBIELL.)



modo, in gulis vicibus, minor quantitas addatur non benedicti. — 10. Afferitur ad hoc Decretum Sacrae Congregationis supremae, et universalis Inquisitionis. — 11. Forma Sacramenti Extremae Unctionis sunt sequentia verba: *Per istam Sanctam Unctionem*, etc. — 12. Invocatio Sanctissimae Trinitatis non est de essentia. — 13. Forma Extremae Unctionis non potest proferri nisi modo deprecativo, non autem mere indicativo. — 14. Unctiones communiter sunt faciendae in septem partibus infirmi sub eadem forma, variato solum nomine partis, quae actualiter ungitur. — 15. Unctio renum in feminis honestatis gratia est omittenda, sicuti etiam in viris, quando comode infirmi moveri non possunt. — 16. Tunc sive in feminis, sive in viris non est unguenda alia pars corporis pro ipsis renibus. — 17. Si aliquis careat aliquo ex sensibus, seu mutilatus existat aliquo membro, tunc debet ungi pars illi sensui, seu membro proxima. — 18. Tempore pestis, aut alterius necessitatis qua omnes Unctiones fieri non possunt, sufficit unica unctio in quolibet sensu magis ad Unctionem exposito, cum unica tantum forma omnes corporis sensus exprimente. — 19. Extra tamen casum necessitatis non sufficit ad valorem unica Unctio, nec pro Materia Chrismata. — 20. Tempore pestis possunt fieri Unctiones sine contactu immediato utendo virga longa oleo tincta. — 21. Quamvis extra casum necessitatis sit gravis obligatio in administratione hujus Sacramenti, utendi habitu convenienti, id est superpelliceo et stola, tamen in casu necessitatis potest ministrari sine tali habitu. — 22. Minister validus Sacramenti est solus, et omnis Sacerdos, ad num. 25. — 23. Minister licitus hujus Sacramenti est solus Parochus, aut alius Sacerdos de ejus, vel Episcopi licentia. — 24. Regulares non possunt licite sine licentia Parochi, vel Episcopi, aut privilegio Papae hoc ministrare, immo illud ministrando incurrunt Excommunicationem Papae reservatam. — 25. Immo in casu necessitatis, quo non extante Parocho, infirmus jam ageret animum, tunc Regularis sine incursum ullius censurae, immo et licite, sicut et quicumque Sacerdotes seculares possunt Extremam Unctionem ministrare. — 26. Extra casum necessitatis nequeunt Regulares sine licentia Episcopi, vel Parochi administrare Extremam Unctionem neque Adventis, qui in eorum Conventibus infirmantur. — 27. Possunt tamen Regulares sine ulla tali licentia ministrare Extremam Unctionem Famulis domesticis, et continuis Commensalibus intra eorum Monasteriorum septa residentibus. — 28. Non est necesse, quod Extrema Unctio conferatur a pluribus Sacerdotibus. — 29. Immo extra necessitatem non est licitum quod Unctiones fiant a pluribus, saltem apud nos Latinos. — 30. Ecclesiae consuetudo, et praxis declarat, ut unus Minister omnes Unctiones, adeoque totum Sacramentum perficiat, excepto casu necessitatis. — 31. Si dum Sacerdos ungit, corripiatur repentino morbo, et moriatur, alius

(1. Variæ in Ecclesia Dei habentur in praxi Unctiones, prout diriguntur ad varias personas. Prima est Catechumenorum, quos oleo benedicto Sacerdos ante Baptismum ungit in pectore, et inter scapulas. Secunda Baptizatorum, quos Chrismate ungit Sacerdos in vertice. Tertia Confirmatorum, qui per Episcopum unguuntur in fronte. Quarta Principum saecularium, qua humeris, et brachiis unguuntur. Quinta est Sacerdotum, et Episcoporum, quae fit in illorum Ordinatione. Sexta est infirmorum ad extrema reductorum, de qua solum in praesenti est sermo. Unde *Extrema Unctio* dicitur, ut observat Tridentini Concilii Catechismus, par. 2, ibi: « Quare haec Unctio a majoribus nostris Sa-

Sacerdos potest, et debet perficere Unctiones partium non unctarum, Unctiones tamen a primo factas non iterando. — 32. Numquam potest, nec licite, nec valide conferri hoc Sacramentum a pluribus, ita ut unus Sacerdos ungat, et alter formam proferat. — 33. Subjectum capax hujus Sacramenti est solus homo baptizatus, rationis capax, et in periculo probabili mortis constitutus, ex morbo, vulnere, partu, senectute, veneno, et morsu rabido. — 34. Pueris usum rationis habentibus dari potest Extrema Unctio etiam antequam ad Eucharistiam admittantur. Item moribundis sensibus destitutis quamvis communionem non possint recipere, si ante petierint, aut Christiane vixerint: Et sic etiam dari potest phreneticis, et delirantibus, non tamen perpetuo amentibus. — 35. Non potest dari hoc Sacramentum iis, qui sine aliqua infirmitate versantur in periculo mortis, ut praeliaturi, in naufragio constituti, morte plectendi, mulieres partui periculoso vicinae. — 36. Extrema unctio iterum conferri potest, si infirmus postquam revaluisse videbatur, in periculum mortis recidat. — 37. Nullum extat praecipuum suscipiendi Extremam Unctionem. — 38. Non suscipere hoc Sacramentum per se loquendo secluso scandalo, et contemptu, non est peccatum mortale, et multo minus peccat mortaliter domestici, si id non procurant. — 39. Est tamen peccatum mortale ipsum negligere, seu non suscipere ex contemptu. — 40. Sic etiam hoc Sacramentum non suscipere, seu negligere, posset esse peccatum mortale ratione scandali secuturi. — 41. Parochus peccat mortaliter, si infirmo petenti hoc Sacramentum negligat, aut sine justa causa differat illi conferre cum probabili periculo, ne sine ipso Sacramento moriatur infirmus. — 42. Immo Parochus tenetur sub mortali ministrare, sive per se, sive per alium Extremam Unctionem infirmo peste infecto, etiam cum periculo contagii, si ipse infirmus non possit aliud Sacramentum recipere. — 43. Quinimo Parochus tenetur etiam cum periculo contagii ministrare, sive per se, sive per alium hoc Sacramentum moribundo peste infecto, etiamsi receperit Sacramentum Pœnitentiae, sed non Eucharistiae. — 44. Effectus speciales et praecipui Sacramenti Extremae Unctionis sunt quatuor. Primus est remissio peccatorum venialium primario, et per se, et mortalium secundario, et per accidens. — 45. Secundus est alleviare infirmum. — 46. Tertius est peccatorum reliquias abstergere. — 47. Quartus est liberare infirmum ab infirmitate sua corporali ubi saluti animi id expedierit. — 48. Oleum infirmorum ubi, et quomodo asservari debeat? ad n. 50. — 49. Sacculus pro includendo oleo infirmorum debet esse violaceus. — 50. Subnectuntur Supplementa Auctoris, ad n. 67. — 68 ad 75. De benedictione olei. — 74. ad 78. Forma hujus Sacramenti. — 79. Partes unguendae. — 80. ad 85. Ministri extremae Unctionis. — 86. ad 95. Quibus hoc Sacramentum administrari possit.

cramentum etiam Unctionis infirmorum, et Sacramentum exeuntium dicta est, » et ipsum Tridentinum, sess. 14, cap. 3, de *Extrema Unct.* dicit expresse, « Unde et Sacramentum exeuntium nuncupatur? »

(2. Sacramentum Extremae Unctionis « est Unctio hominis infirmi pœnitentis facta in determinatis partibus corporis cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata a Sacerdote simul verba certa cum intentione debita proferente, ex institutione divina efficaciter significans curationem finalem venialium. » Sic Scotus, in 4. dict. 23, quæst. unica. (3. Est de fide certum, Extremam Unctionem esse verum, et proprie dictum Sacramentum novae legis a Christo Domino institutum.

Sic docet Concil. Florent. in decreto *Unionis*, et Tridentinum, sess. 14, de *Extrema Unctione*. c. 1, ibi: « Instituta est autem Sacra haec Unctio infirmorum, tanquam vere, et proprie Sacramentum Novi Testamenti a Christo Domino Nostro apud Marcum quidem, c. 6, insinuatam, per Jacobum autem Apostolum ac Domini Fratrem Fidelibus commendatam, ac promulgatam. (Jacobi v.) *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei.* » Et ibidem Canon. 1, sic definit Concilium contra Hæreticos: « Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse vere, et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit. » Et jam hoc definit etiam sess. 7, can. 1, ubi anathematizat dicentes non fuisse a Christo Domino instituta omnia Sacramenta Novae legis, et ipsa esse plura, vel pauciora, quam septem, inter quae expresse enumerat Extremam Unctionem. (4. Hoc Sacramentum Extremae Unctionis probabilis fuit institutum post Resurrectionem, quando Christus, Joann. xx, instituit Pœnitentiam, cujus consummationem esse Extremam Unctionem dicit Tridentinum, sess. 14, de *Extrema Unctione*, in proemio.

(5. Materia remota extremae Unctionis est Oleum Olivarum ab Episcopo benedictum. Proxima autem est ipsamet Unctio facta hoc oleo. Est communis, et constat ex Concilio Florentino, in decreto *Unionis*, ubi dicit, quod « Extremae Unctionis materia est oleum Olivae per Episcopum benedictum, » et Tridentino, sess. 14, de *Extrema Unctione*. cap. 1, ibi: « Intellexit enim Ecclesia materiam (Extremae Unctionis) esse oleum ab Episcopo benedictum, » et constat etiam ex verbis Apostoli Jacobi, c. v, ibi: *Ungentes eum oleo in nomine Domini.* (6. Oleum hoc debet necessario esse benedictum ab Episcopo necessitate Sacramenti, ita ut adhibito oleo non benedicto ab Episcopo, nullum fiat Sacramentum. Est communior Doctorum sententia. Et colligitur ex traditione Apostolica, ut tradit Beda, in cap. vi *Marci*, ibi: « Unde patet ab ipsis Apostolis hujus Sanctae Ecclesiae morem esse traditum, ut Energumeni, et alii quilibet ægroti ungantur oleo Pontificali benedictione consecrato. » Idem expressius tradidit Concil. Tridentin. sess. 14, c. 1, de *Extrem. Unctione*. ibi: « Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum hujus salutaris Sacramenti; intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum. » Et sic tenent Sanctus Thomas, in 4, dist. 23, quæst. 1, art. 3, ad quæst. 4, et in supplement. quæst. 30, art. 6. Sanctus Bonaventura, in 4, dist. 23, art. 1, quæst. 3. Scotus, ead. dist. num. 5. Layman, lib. 5, tract. 8 de *Extrem. Unct.* cap. 1, num. 1. Durand, quæst. 6; Paludan.

in 4, dist. 33, q. 1, art. 1. Reiffenstuel, in *Theol. moral.* tract. 14, dist. 11, quæst. 1, num. 7. Henno, tom. 2, disp. unic. de *Extrema Unct.* quæst. 3, concl. 2. Pontas, verb. *Extrema Unctio*, cap. 3. Silvius, in supplement. S. Thom. quæst. 29, art. 5 et 6. Fagnan, lib. 1, decret. in cap. *Cum venisset*. 1, de *Sacra Unctione*, n. 51 et 52. Bellarmin, cap. 7. Suarez, disp. 40, sess. 1. Coninch, tom. 2, disp. 19, dub. 2. Sotus, in 4, dist. 23, qu. 1, art. 3. Aversa, sect. 2. Dicastil, de *Sacram. Extremae Unctionis*. num. 32. Felix Poestas, tom. 1, num. 3908, et alii passim, et Gobat, de *Extrema Unctione*. num. 784, ubi testatur esse de communi Theologorum; La Croix, lib. 6, par. 2, num. 2092, ubi assertit quod communissima dicit ex præcepto Christi requiri hic Benedictionem Episcopi.

(7. Non desunt tamen magni nominis Doctores qui dicunt simplicem Sacerdotem ex Papae commissione oleum benedicere posse pro usu hujus Sacramenti. Sic Cajetanus 2, 2, quæst. 7, art. 3. Victoria, de *Extrema Unct.* num. 216. Henr. lib. 3, cap. 8, num. 1. Zambranus, cap. 5, de *Extrema Unct.* num. 7. Roding. *Theolog. Scholast.* tom. 5, quæst. 21, art. 2. Frassen, de *Sacrament. Extremae Unct.* concl. 1. Juenin de *Extrema Unctione*. quæst. 3, concl. 4. Rosignolus, de *Extrema Unctione*. quæst. 1, art. 5, num. 12, et alii. Et probant a pari de Sacramento Confirmationis, cujus licet ordinarius minister sit solus Episcopus ex Concilio Florentino, in decreto Eugenii IV, de unione Armenorum, et in Tridentino, sess. 9, canon. 3, de *Confirm.*, tamen ex dispensatione summi Pontificis potest ipsam ministrare etiam simplex Sacerdos, ex cap. *Pervenit* 1, dist. 95, ubi refertur Sanctum Gregorium Papam hanc facultatem concessisse Presbyteris Sardiniae propter defectum Episcoporum, ibi: « Ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate ungere debeant concedimus. » Et hoc expresse indicat Eugenius IV, in Concilio Florentino, loc. cit. ibi: « Legitur tamen aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili, et urgente admodum causa simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc Sacramentum confirmationis ministrasse. » Et talem facultatem concesserunt etiam alii summi Pontifices variis Religiosis, ut Innocentius IV Patribus Prædicatoribus, Joannes XXII et Leo X Fratribus Minoribus pro Indis, teste Rodriguez in suo Bullario Regular. in Bulla Leonis X, Gregorius XIII Patribus Societatis Jesu, ut testatur Suarez, et alii alii. Unde inferunt ipsi, ergo etiam ex concessione summi Pontificis poterit simplex Sacerdos oleum infirmorum sanctificare, cum videatur quid majus confirmare, quam oleum simpliciter benedicere, et sanctificare. (8. Tum quia id patet ex antiquissima consuetudine Ecclesiae Græcæ, in qua simplices Sacerdotes ex commissione Episcopi, approbante Romano Pontifice, oleum infirmorum benedicunt, quam consuetudinem approbavit Clemens VIII in instructione super ritibus Græcorum de oleo



Catechumenorum, et infirmorum Constit. incip. *Sanctissimus*; ubi expresse hæc habet: « Non sunt cogendi Presbyteri Græci, olea Sancta, præter Chrisma, ab Episcopis Latinis Diocesanis accipere. Cum hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum, et Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur; Chrisma autem, quod non nisi ab Episcopo etiam juxta eorum ritus benedici potest, cogantur accipere. » Ex quibus docte inferi Rosignolus, loc. cit. num. 11, « quod benedictio Episcopalis non sit de necessitate Sacramenti, sed sufficiat Sacerdotalis. Si enim esset de necessitate Sacramenti, etiam apud Græcos requireretur, ut ex se patet; unde quod refertur ex Conciliis supra recensitis intelligendum est solummodo de necessitate præcepti. » Hæc ipse, qui num. 12 in fine concludit: « In hoc consulendam arbitror Sacram Congregationem. Quæ revera opinio non est inferioris ponderis, ne dicam majoris, quam prima. »

(9. Oleo benedicto in casu necessitatis ob infirmorum copiam potest valide et licite sæpius addi oleum non benedictum, dummodo singulis vicibus minor quantitas addatur non benedicti, ut colligitur ex c. *Quod in dubiis 3, de consecrat. Eccles. vel Altaris, et in Rituali Romano sub tit. de Extrema Unctione*, et ex responsione Sacræ Congr. Supremæ, et Universalis Inquisitionis ad dubium, ut sequitur:

*Eminentissimi, e reverendissimi Signori.*

« Determinandosi nel Decreto di cotesta Sacra Congregazione fatto sotto li 2. Marzo 1679. sopra la condanna di 65. Proposizioni, che circa il valore de' Sacramenti non si debba seguire l'opinione probabile, lasciata la più sicura. Ed' essendo opinione controversa tra Theologi, se per supplire all' Oglio Santo che mancasse, sia lecito, aggiungere del non benedetto in più volte: purchè l'aggiunto considerato separatamente, ed in ogni aggiunta, sia in minor quantità dell' oglio Santo, benchè considerate tutte le aggiunte insieme fosse maggiore; di qui è nato dubbio nella Diocesi di Sevilla, nella quale per la sua vastità è impraticabile benedire tant' oglio, che basti senza l'aggiunta; se sia lecito fare detta aggiunta all' oglio Santo, per esservi molti Theologi, che tengono l'opinione negativa per più sicura. Onde per avere la risoluzione di tal dubio l'Arcivescovo di Sevilla, devotissimo Oratore, fece porgere all' Eminenze Vostre un memoriale consultivo, nel quale si deducevano le opinioni di Theologi sopra questo punto. Ma non avendo fin' ora avuta la dichiarazione supplica perciò l' E. E. V. V. degnarsi di dargliela per sicurezza, e quiete della coscienza propria, e del suo gregge.

(10. « Feria quinta die 23 Septembris 1682. in Generali Congregatione S. Officii habita in Conventu S. Mariæ supra Minervam, coram Eminentissimis et Reverendissimis dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravita-

tem Generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis; Lecto supradicto memoriali, Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinales Inquisitores prædicti decreverunt, in casu proposito posse.

« *Franciscus Richardus S. R. et Univers. Inquisit. Notarius.* »

(11. Forma Sacramenti Extremæ Unctionis sunt sequentia verba: « Per istam Sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum (auditum, odoratum, etc.) deliquisti. Amen. » Sic Concilium Florentinum, et Tridentinum locis cit. una cum Rituali Romano sub tit. *de Extrema Unct.* (12. Invocatio Sanctissimæ Trinitatis non est de essentia, quia concilium Florentin. et Tridentin. præmissam formam assignant. Communis. (13. Forma Extremæ Unctionis non potest proferri, nisi modo deprecativo, non autem mere indicativo, quia ita instituit Christus, prout promulgavit D. Jacobus cap. v: *Inducat Presbyteros, et orent super eum*, quod satis indicat formam hujus Sacramenti debere esse deprecatoriam, ut tradunt communiter Doctores. (14. Unctiones communiter sunt faciendæ in septem partibus infirmi sub eadem forma, variato solum nomine partis, quæ actualiter ungitur. Ita expresse Concilium Florentinum loc. cit. et Rituale Romanum Pauli V. sub tit. *de Extrema unctione.* (15. Ubi ipsum Rituale dicit: « Unctionem renum in feminis honestatis gratia omittendam esse, sicuti etiam in Viris quando infirmi commode moveri non possunt. (16. Neque tunc sive in feminis sive in Viris alia pars corporis debet ungi propriis renibus. » Rituale *ibidem.* (17. « Sitamen aliquis careat aliquo ex sensibus, v. g. visu, seu mutilatus existat aliquo membro, v. g. manu, vel pede, tunc debet ungi pars illi sensui, seu membro proxima, quia peccare potuit, licet non per sensus externos, per potentias internas illis correspondentes, vel per desiderium actus illiciti. » Rituale *ibidem.*

(18. Tempore pestis, aut alterius necessitatis, quo omnes unctiones fieri non possunt, sufficit unica Unctio in quolibet sensu magis ad unctionem exposito, ac detecto, cum unica tantum forma omnes corporis sensus exprimente sic: « Per istam Sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, gressum, et lumborum delectationem. Amen. » (19. Extra tamen casum necessitatis non sufficit ad valorem unica Unctio, nec pro materia Chrisma, sed debet esse oleum benedictum a Chrismate distinctum. Scotus in 4. dist. 25. litt. D. quia opiniones affirmantes, utpote minus tutæ, et exponentes Sacramentum periculo frustrationis et nullitatis, non sunt practicandæ ex Decreto Innocentii XI. die 2 Martii 1679. in quo inter alias fuit damnata sequens propositio prima in ordine: « Non est illicitum in Sacramen-

tis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabilis tantum, utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis. » Solum igitur hoc esset licitum in casu necessitatis, quo non adesset nisi Chrisma, vel non possent fieri omnes Unctiones, sicuti in casu necessitatis baptizandi infantem, si non possit haberi aqua naturalis, aut nequeat abluere in capite, licitum est eum baptizare sub conditione in lixivio, in digito, et hujusmodi, cum in tali casu tutius procuretur salus animæ infantis, quam nullo modo eum baptizando. (20. In casu necessitatis, v. g. tempore pestis, possunt fieri Unctiones sine contactu immediato utendo virga longa oleo tincta. (21. Immo Dicastil. tom. 3. num. 150 dicit se vidisse a viris non indoctis ministrari Extremam Unctionem, mediante argentea virgula etiam extra tempus pestis; sed hoc est in re notabili contra universalem consuetudinem Ecclesiæ (1). Sic quamvis extra casum necessitatis sit gravis obligatio in administratione hujus Sacramenti, utendi habitu convenienti, id est superpelliceo et stola, tamen in casu necessitatis potest ministrari sine tali habitu; La Croix lib. 6. part. 2. num. 217. et communior aliorum contra Bonacinam, Naldum, Suarez, et alios.

(22. Minister validus hujus sacramenti est solus et omnis Sacerdos. Quod sit solus Sacerdos habetur ex *Epist. D. Jacobi cap. 5.* ubi legitur introducendos esse ad infirmum, non Laicos, non quoslibet, sicut in Baptismo, sed Presbyteros; ibi: *Introducant Presbyteros, et orent super eum*; et habetur ex Concil. Florentin. in Decreto Armenorum, ibi: « Minister hujus Sacramenti, nempe Extremæ Unctionis, est Sacerdos; » et ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 3. de Extrema Unctione, ubi expresse dicitur: « Proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiæ Presbyteros, quo nomine eo loco non ætate seniores, aut primiores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes; » et ibidem canon 4. anathematizat contrarium sentientes: « Si quis dixerit Presbyteros Ecclesiæ, quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit. » (23. Quod omnis Sacerdos possit valide hoc Sacramentum con-

(1) Tempore pestis grassantis, extremam conferri posse unctionem eo morbo laborantibus oblonga adhibita virga, seu alio instrumento, cujus extremæ parti alligatus sit firmiterque adhæreat gossipii pugillus sacro imbutus oleo, quo inungatur infirmus, multorum testimonio Theologorum probat Benedictus XIV. in Synodo diocæsana lib. 5. cap. 19. edit. Rom. 1755. Sed ejusdem SS. Pontificis verba digna sunt, quæ audiantur. « In Rituali Romano, sunt illius verba, in ordine ministrandi hoc Sacramentum hæc verba leguntur: « Deinde intincto pollice in oleo

ferre, videtur evinci ex textu *D. Jacobi cap. v.* Ibi: *Introducat Presbyteros*, ubi indefinite ponuntur Sacerdotes sine ulla prorsus exceptione, cum potestas illa competat Sacerdoti non ratione jurisdictionis, sed ratione Ordinis, ut confirmat communis Ecclesiæ sensus, et per hoc Apostolus dicit, *introducatur non Episcopum, non Parochum, sed Presbyteros Ecclesiæ*, ut ostendat potestatem illam cuilibet Sacerdoti competere. Unde validum est hoc Sacramentum, etiam si conferatur a Sacerdote excommunicato, irregulari, degradato, etiam contradicente Parocho, quia sicut retinet potestatem Ordinis, ita et potestatem hujus Sacramenti valide ministrandi; Est communis teste Rosignol. *de Extrema Unctione* quæst. 2. art. 2. n. 1 et 2. (24. Minister autem licitus hujus Sacramenti est solus Parochus, aut alius Sacerdos de ejus, vel Episcopi licentia. Est communis, ac certa.

(25. Unde nec Regulares possunt licite sine licentia Parochi, vel Episcopi, aut privilegio Summi Pontificis hoc ministrare, immo illud ministrando incurrunt Excommunicationem Papæ reservatam. Clement. 1. *de Privileg.* (26. In casu tamen necessitatis, quo non extante Parocho infirmus jam ageret animam, tunc Regulares sine incurso ullius censuræ, immo et licite, sicuti et quicumque Sacerdotes sæculares, possunt Extremam Unctionem ministrare ex præsumpto consensu Episcopi, vel Summi Pontificis; Valentia tom. 4. disp. 8. quæst. 1. punct. 2; Reginald. lib. 18. n. 408 et lib. 28. n. 61. Suarez tom. IV. disp. 44. sect. 2 num. 3. Navarr. cap. 17. num. 101. Henriquez in summa lib. 3. c. 13. num. 4. Huetius in *Thesaurò animæ* tom. 4. verb. *Unctio extrema* n. 5. in explicat. litt. D. Thomæ. Rosignol. *de extrema Unctione* q. 2. art. 2. n. 10. et alii passim. (27. Extra casum necessitatis nequeunt Regulares sine licentia Episcopi, vel Parochi administrare Extremam Unctionem neque Advenis, qui in eorum Conventibus infirmantur; Sac. Cong. Conc. in Monopolitana 27. Sept. 1670. ubi expresse censuit « non licet Fratribus absque licentia Episcopi, vel Parochi administrare Sacramenta Advenis, qui in eorum Conventibus infirmantur, et si decedant, non posse sepeliri in eorum Ecclesiis, » lib. 26. Decret. fol. 444. (28. Possunt autem Regulares sine ulla licentia ministrare Extremam Unctionem famulis, domesticis, et continuis commensalibus intra eorum Monasteriorum septa residentibus; Vid. verb. *Approbatio*, art. 1. a n.

Sancto in modum Crucis ungit infirmum: ex quibus oritur obligatio, semota necessitatis causa, sectandi præscriptam ibi methodum, ita ut qui secus agit peccati reatum incurrat. At quoties adsit gravis urgensque necessitas expeditos, facilesque inveniendi modos, quibus pestifero morbo infecti hujus scuti participes fieri possunt, nulla subest justa ratio, quæ possit Episcopum remorari, ne facultatem faciat Sacerdotibus Extremæ Unctionis Sacramentum superius indicato modo, nempe per instrumentum, ut diximus, administrandi. » (NOTA ROM. THEOL.)